


EPISTULA LEONINA

CCXXVI

HEBDOMADALE
PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,
QUOD ĒDITUR
E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI
CUI NOMEN EST
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS G R A T I S ET S I N E ULLĀ OBLIGATIONE. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS **I-CCXXI** INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM
DUCENTESIMAM VICESIMAM SEXTAM (226) !

ARGUMENTA

PRAEFATIUNCULA	02-03
DEDITISSIMUS VINCIT	04
CHRONOGRAMMATA PATRIS HERBERTI DOUTEIL	05-06
NARRATIUNCULAE PUERI MALE MÔRATI (X) (<i>Thoma/LL</i>).....	07-15
MELIOLOGIA SIVE HISTORIA FRAXINI (II) (<i>Wikipedia,LL</i>).....	16-18
COMMERCIIUM EPISTULARE (<i>Sacré,LL</i>): De ephemeridibus statistico-politicis.....	19-21
LIBRI LEONIS LATINI	22-25

**LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATIS AMANTIBUS
SAL.PL.DIC.*****Cara Lectrix, Care Lector,***

en Epistulam Leoninam ducentesimam vicesimam sextam, id est novissimam. Utinam tibi gaudio sit!

Ne praetermittas sententiolam “Deditissimus vincit” necnon Chronogrammata a Patre Herberto Douteil artificiosê confecta!

Narratiunculas Ludovici Thomae Latinê reddidi, quia mihi persuasum est easdem nequaquam spectare sôlam ad aetatem illam Imperatoris Vilelmi, sed a puero male môrato narrari de vitiis hominum communibus, quae omni aetate inveniantur in societate humanâ.

De fraxino ut scriberem vel potius Latinê redderem symbolam de hac arbore Wikipedianam quibusdam additamentis auctam, in animum induxi, quia ante maenianum nostrum domesticum magna stat arbor huius generis mirabilis; eandem autem mox caesum iri audivimus, quia in eius loco aedificaretur nova domus. Quod cum nos uxor et ego plurimum doleamus, in memoriam huius fraxini magnificae nunc scribo Meliologiam...

Ceterum commercium epistulare cum Theoderico Sacré praeside Academiae Latinitati Fovendae (ALF) habitum

divulgavi. Quo agitur de ephemeridibus Latinis, praesertim olim in Hungariâ publicatis.

Ergo tolle lege mirare!

Medullitus Te salutat

Dr. Nicolaus Groß

Sodalis Academiae Latinitati Fovendae



<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS

**Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,
Die Dominicâ, 07. m.Febr. a.2021**



DEDITISSIMUS VINCIT

CHRONOGRAMMATA

PATRIS HERBERTI DOUTEIL

BRASILIENSIS

Zum Monat Februar



Monatsbild im Breviarium Grimani, Brügge, ca. 1515

2021* febr**VarIVs** **DICItVr** a febr**IbVs** q**Vae** t**VnC** fa**CILI** Cont**IngVnt** **VeL** a febr**VI**s **VeL** ob**LatIonIbVs** **VeL** a febro **ID** est **PLV**tone; habet fest**IVI**tates **pVrIfICatIonIs**, **BLasII**, Agathae **pIae**, **VaLentInI**, **FaVstInI** atq**Ve** **IoVI**tae. – Februar hat seinen Namen von den oft und mit Leichtigkeit zu dieser Zeit aufkommenden Fiebern, oder von Februs, d. h. Pluto; als Feste hat er das der Reinigung (2.), des Blasius (3.), der seligen Agatha (5.), des Valentin (14.), des Faustinus (15.) und der Jovita (15.). – vgl. Durandus, Rationale VIII,4,4



Meister der Darbringung, Wien 1420/40, ex coll. Herbert Douteil

Zum 2. Februar, dem **Fest der Darstellung des Herrn:**

2021* **Ma**rIa **Co**nser**V**abat **CV**n**C**ta **In** praesentat**I**one **Ies**V **Co**nferens **In** **Co**r**De**p**I**o. – Maria bewahrte alles bei der Darstellung Jesus und bedachte es im frommen Herzen. – vgl. Lc 2,19.5

Zum 2. Februar, dem **76. Jahrestag der Ermordung von Alfred Delp S.J.**

2021* **LXXVI** ann**I**s ante **IV** non. febr**Var**II **Al**fre**D** **De**Lp **In** **V**ita **Ver**Vs

sa**Cer**Dos so**C**ietat**I**s **Ies**V nefar**Ie** ne**C**at**V**s est. – Vor 76 Jahren ist am 2. Februar Alfred Delp, im Leben ein echter Priester der Gesellschaft Jesu, frevelhaft ermordet worden.

Zum 5. Februar, dem **Fest der heiligen Agatha:**

2021* Agatha **Catan**Iae **SICIL**Iae **Car**bon**Ib**Vs **Def**Lagr**ant**Ib**V**s **Mart**Yr **Chr**Ist**I**oret pro tot**I**s nob**I**s. – Agatha, die in Catania auf Sizilien auf glühenden Kohlen das Martyrium Christi empfang, bete für uns alle. – Agatha, die sich Christus als Jungfrau geweiht hatte und deshalb des Heiratsantrag des Statthalters ablehnte, wurde während der Verfolgung des Decius 249/251 in Catania auf Sizilien auf glühenden Kohlen zu Tode gefoltert.

NARRATIUNCULAE

PUERI

MALE MŌRATI

(Lausbubengeschichten)

Quas scripsit

LUDOVICUS THOMA

in Latinum convertit

NICOLAUS GROSS



<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS

PARS DECIMA: Bona proposita (*Gute Vorsätze*)

Pars I: De Gretulâ Vollbeck EL 144, 4-12; pars II: De primo amore meo EL 145, 7-14; Pars III: Magister Puellulus EL 155, 4-16; Pars IV: Feriis quae facta sint EL 164, 14-23; Pars V: Sponsalia EL 169, 13-19; Pars VI: Nuptiae 173,12-20; PARS VII: De Periurio EL 205, 15-22; PARS VIII: De avunculo Francisco EL 218, 7-10; PARS IX: De infantulo.



LUDWIG THOMA

(1867-1921)

Circa a.1909 pinxit Karl Klimsch.

Ludovicum iuvenem cum pertaedeat se iterum iterumque submittere licentiae magistrorum ceterorumque hominum, qui putantur esse auctoritates, audax consilium capit unum post alterum, quo quam bellissimê calcitret contra stimulum civium abderitanorum.

Ludovicus Thoma his in narratiunculis satiricis, quae specie tantum sunt pueriles, mirifico ingenio comico stupendâque subtilitate mores describendi systema scholae vilelmianum et clericalismum integumentis dissimulationis fallacissimae evolvit denudatque.

Eius »Narratiunculis pueri male môrati« lepidissimis animi lectorum usque hodie non desinunt mirabiliter delectari.



PARS DECIMA (X)

Bona proposita (*Gute Vorsätze*)

Subito fui vehementer pius. Per tres septimanas Falkenbergius magister noster religionis nos praeparabat ad communionem sanctam accipiendam et ego Friderico dixi: »Nunc debemus vivere omnino aliter ac antea«.

Etiam Fridericus subitâ pietate religiosâ correptus est, quia Falkenbergius aliquando vehementer flens dixerat se rationem reddere non posse, quod ad mensam Domini missurus esset puerum tam corruptum. Nam nuper ante institutionem puerorum communicandorum ansa ianuae óblita erat sinapi, sed magister religionis putavit manum suam non esse óblitam sinapi, sed substantiâ aliâ.

Equidem scivi Fridericum hoc facinus fecisse, et iam gavisus sum Falkenbergium per ianuam iniisse, sed idem nos sivit per semihoram orare, ut transiret facinus impium. Precibus autem finitis Fridericus ex me quaesivit, num facinus orando sustulissemus. Ego autem respondi me hoc credere, quia alioquin Falkenbergius orare non desiisset. Tamen addidi: »Tu quoque, Friderice, debes fieri homo melior. Si conatus eris, bene assequêris.« Ille quaesivit, num ego hanc rem assecutus essem.

Respondi: »Equidem assecutus sum, quia nunc sum vehementer pius. Nam Stephania mea matertera, quae semper ad me attendit librum

precatorium legentem, Iosephulo avunculo dicit mores meos aliquatenus esse mutatos. Quae credit me paenitentiam agere facinorum meorum, et ego quoque hoc credo, quia quamvis iam per quadrans horae orans nondum in animo habeo in materteram impetum facere.«

Fridericus aute dixit se cras paenitentiam suam incohaturum esse, sed hodie oportere, ut fenestram sutoris Rettenbergeri destrueret lapide iniciendo, nam illum pedello prodidisse se sigarum fumantem.

Dixi, ut exspectaret usque ad tempus post communionem, quia vellem particeps fieri ultionis, sed Fridericus dixit se non posse orare, quia esset plenus irae.

Rettenberger autem ridet quandocumque videt Fridericum, et heri clamavit post eum: »Ah tu pessime puer male môrate, nonne bellulê te deprehendi?«

Tum Friderico assensi, quia iste sutor confecerat facinus impudentissimum, et o quam libenter particeps factus essem ultionis! At hoc fieri non potuit, nam paenitentiam iam egeram per octo dies, et nolui postea denuo incohare.

Eheu non facile fuit hoc perferre.

Matertera Stephania attendit, ne quid omitterem. Quae mihi dedit copias ciborum sat parvas affirmans oportere, ut peccator cottidie ieiunando se vexaret, sed ancilla mihi dixit illam esse parcepromam nihilque velle nisi pecuniae parcere.

Antequam cubitum ibam, debueram conscientiam meam perquirere; tum recitabam speculum confessorium et Iosephulus patruus et amita omnia explicabant. Avunculus Iosephulus est perquam pius. Qui est secretarius iudicialis, sed saepe dicit se voluisse fieri parochum, sed quia pecuniam non habuerit, studium theologiae finire non potuisse.

Cum is aliquando cum amitâ bellulê rixaretur, matertera dixit eum stultiorem fuisse, quam ut frequentaret gymnasium. Falkenbergius avunculum diligit, quia is persaepe ecclesiam frequentat et sibi omnia narrat quae homines dicunt in cauponâ colloquentes.

Mater mea ei scripsit, ut me adiuuaret et doceret ad actionem illam sanctam praeparandam, ut tam pius fierem quam patruus ipse.

Quo lêcto avunculus Iosephulus gavisus omni die usque ad horam nonam adfuit habens pias homilias. Aliquando e libro quodam recitavit cottidie esse conscientiam perquirendam more Sancti Ignatii.

Is enim omnia peccata sua libro inscripserat, quem supposuit pulvinari.

Quod etiam ego feci; sed postea oblîtus sum. E scholâ autem cum revertissem, avunculus Iosephulus me allocutus: »Anno proximo praeterito« inquit, »tu mihi e sacculo bracarum furatus es duas marcas.« Tum animadverti ille legisse verba a me ad conscientiam perquirendam libro inscripta, sed reverâ tantummodo furatus eram sexaginta peningos.

At matertera dixit, propter secretum confessionale servandum sibi non permissum esse, ut matri hoc scriberet. Tum laetatus sum. Post cenam avunculus recitavit ‚Balneum animae’, cui inest fabula Sancti Antonii. Eundem enim adiit vir quidam, qui, cum multa peccavisset, voluit peccata sua confiteri. Vir sanctus autem eum adhortatus est, ut peccata sua notaret, et vir hoc fecit.

Quandocumque peccatum aliquod a se factum recitaverat, idem semper exstinguebatur.

Hac fabulâ bis recitatâ avunculus dixit materterae:

»Cara Stephania, nobis quoque huic casui mirabili inest praeceptum servandum. Si Deus peccata ignoscit, debemus exemplum sequi illius viri.«

Deinde matertera: »At mater eius« inquit »debet nobis dare pecuniam tibi surreptam«. Tum avunculus: »Scilicet«, inquit, »hoc est necessarium propter iustitiam servandam«.

Nunc autem matertera: »At tu« inquit, »ne tantum pecuniae imponas sacculo bracarum! Quare tantum pecuniae tecum aufers in cauponam? Tres hyali cervesiae tibi sufficiant, qui constant triginta sex peningis;

sed scilicet tu credas copae esse dandum corollarium – quasi tibi, qui accipias tantulo salario, aliquid supersit donandum!

Tum avunculus: »Istud« inquit »ne dicas coram puero. Quid is cogitet, si animus eius a te avertitur!«

At matertera: »Puer cogitet se mox tibi plus pecuniae surrepturum esse, si tantum imponas sacco bracarum. Quis scit, quantum pecuniae iste tibi iam furatus sit. Scilicet to hoc nescis, quia non attendis tanta cum negligentia, quasi accipias salarium alicuius praesidentis«.

Tum ego dixi: »Sexaginta tantum peningos sumpsi«.

At avunculus: »Saculo infuerant« inquit, »minimum duae marcae. Sed tibi ignoscam, si te sincerê paenituerit furti tui et si promiseris te istud vitium tui impugnaturum esse. Debes tibi proponere sanctissimê, ne umquam hoc denuo facias neve inducaris in tentationem neve umquam inspicias sacculum bracarum meum.«

Quibus auditis irâ incensus eram vehementissimâ, sed mihi non licuit hoc patefacere. Cogitavi me communionem transactâ isti tantum stomachum esse facturum, ut iram evomeret. Me fortasse trucidaturum esse istius pisces auratos aut aliquid simile.

Restiterunt autem quinque tantum dies ibi degendi.

Hôc anno etiam Annae licuit communionem participare, quae fuit filia materterae Fridericae. Me autem taeduit ostentationis, quam parentes ideo faciebant. Nam Anna cum sit mala puella mendacissima, numquam dilexi, sed nunc etiam magis stomachor de istâ, quia matertera Friderica semper loquitur de istâ et tumescit inani superbiâ maternâ.

At matertera Friderica est optima amica materterae Stephaniae, et istae non inter se confabulantur nisi aliquid mali dicentes de matre meâ.

Vespere matertera Friderica saepius veniebat et cum audivisset nos facere pia exercitia, dixit patruo Iosephulo:

»Bonum facis isti catulastro; sed timeo ne non multum prosit«

Deinde ex me quaesivit, num ego me ritê praepararem ad actionem sanctam suscipiendam.

Dixi me iam ex duabus septimanis ritum sacrum praeparare.

Tum ista: »Non omnes« inquit, »se praeparant eodem modo. O bone Deus! Nescio, quid dicam de Annulâ meâ. Quae ritui sacro praeparando tam vehementer est dedita, ut mihi paene inicit timorem. Tantâ pietate imbuta, tanto desiderio communionis primae sanctissimae affecta esse mihi videtur filiola nostra! Et audite, quam pia verba faciat Annula nostra! Feriâ hebdomadae sextâ volui ei dare aliquantulum sorbitiunculae carnae, quia est tam infirma. At filiola eam sumpsit nullo pretio. Tum ego dixi hanc sorbitionem esse pusillam tantum rem. Tum Annula: »Nequaquam« inquit, »cara mater, quonam modo ea res, quâ Deus offendatur, est pusilla?« Haec autem cum dixit, oculi Annulae enituerunt. Tum ego sum attonita. 'Cara mater' – sic dixit filiola mea – quonam modo ea res est pusilla, qua Deus offenditur?'«

Matertera autem Stephania stupefacta caput huc illuc inclinabat, et avunculus Iosephulus lacrimosis oculis emissiciis me aspectans interrogavit: »Audisne hoc?«

Tum ego dixi me haec verba iam legisse, quia essent ex fabulâ viri sancti excerpta, quae inscripta esset nostro libro praeparandi.

Matertera Friderica erat indignatissima, quod ego illa verba iam noveram. Quae dixit se hoc non credere, quia ego semper mentirer, sed si esset verum, se hoc non flocci facere, quia dilucidê appareret, quantâ cum pietate Annula imbuta esset praecepto morali.

Necnon narravit Annulam heri non dormivisse et in lecto sedisse flentem. Itaque a se rogatam filiam respondisse: »Comêdi frustulum crustulae panis.« Deinde matertera Friderica rogavit: »Quidni comedas crustulam panis?« Tum Anna: »Quia cena iam erat finita neque iam crustula destinata erant mihi, hoc feci iniustê, quamquam mihi tam firmê proposueram, ne umquam pergerem peccare!« et lacrimare perrexit. Matertera autem Friderica addidit: »En talem puellulam – quae mihi saepe videtur esse supratherrestris, neque possum eam tranquillare.«

Tum autem avunculus Iosephulus: »Ex alterâ parte« inquit »sunt parvuli, qui duas tresve marcas surripiant ex sacco bracarum, sed tamen nullâ vexantur inquietudine«.

Matertera autem Friderica istam rem cum iam accepisset a materterâ Stephaniâ: »Talis« inquit »infamia execrabilis efficitur educatione nimis clementi«.

Quia istaec omnia non potui, quin audirem, gavisus sum de die communionis sacrae. Cara mea mater mihi miserat synthesin vestium nigram et candelam magnam. Quae mihi scripsit se dolere, quod non posset particeps fieri, sed monere, ut proponerem mihi melius vivere sibi que nihil afferre nisi gaudium.

Hoc quidem mihi proposui.

Nos fuimus quattuordecim pueri primo communicandi scholae Latinae, et uxor pedelli nobis dixit se non posse quin fleret, quia aspectu essemus tam sollemni quam esse solerent angeli. Fridericus lentê me praetergrediens paene vultu erat graviore quam ut a me cognosceretur.

Nos pueri statuti eramus in unâ parte, in alterâ parte statutae erant puellae, quae pertinebant ad scholam filiarum altiorum. Inter eas fuit Anna. Quae induta erat veste candida, capillis calamistratis. Quam allocutus sum in sacristia, antequam ingressi sumus in ecclesiam.

Puella dixit se hodie preces facturam esse quam ardentissimas, ut ego fierem homo melior.

Equidem non stomachatus sum, quia factus eram perquam pacificus, nec in ecclesiâ me ita gessi ut soleo. Prorsus non sensi, quamdiu tota missa duraret, et non deliberavi, quonam modo me postea essem gessurus. Opinatus sum nunc omnia esse alia.

Multi parentes, qui adfuerunt, omnibus rebus finitis liberos suos osculati sunt, et ego adii materteram Theophaniam et avunculum Iosephulum.

Tum matertera Friderica stabat apud illos me allocuta: »Tu quidem« inquit, habuisti candelam omnium crassissimam. Neminem ceterorum habuit candelam tam crassam quam fuit tua. Certê ista duabus ferê marcis carior fuit quam illa, quam dederam Annulae meae. At mater tua semper vult ostentando ceteros superare.«

Matertera autem Theophania dixit: »Scilicet hoc velle istam mulierem, quae nupserit magistratui altiori«

Tum cognovi illos minimê velle me relinquere pium et quietum; itaque cum Friderico decrevi, ut isti mulierculae dolum necteremus.

Qui etiam habitat in angiportu lato et potest inspicere habitaculum materterae Firdericae. Ibidem stat armarium speculo instructum; Fridericus autem habet pistolium pneumaticum.

At nunc subito speculum est foraminatum.

**NARRATIUNCULAS
PUERI MALE MÔRATI
SCRIPSIT
LUDWIG THOMA
IN LATINUM CONVERTIT
LEO LATINUS**

MELIOLOGIA SIVE HISTORIA ARBORIS FRAXINI (II)



Numerus chromosomatum

Fraxinus excelsior habet $2n$, i.e. 46 (quadraginta sex) chromosomata.

Distributio *Fraxini excelsioris* eiusque requisita habitatoria

Demonstratum est *Fraxinum excelsiorem* iam aetate cretaceâ et tertiariâ crevisse in hemisphaerâ terrae septentrionali. Inter aetatem glacialeam proximam praeteritam haec fraxinus repulsa est in Europam australem et australi-occidentalem, sed postea, i.e. septem sexve milibus annorum ante Christum natum, rediit in Europam mediam. Ibidem fraxinus tantum percrebruit, ut partem maiorem efficeret silvarum Europae mediae, antequam repulsa est a fago, sed etiam effectum desilvationis* incendiariae, quae praesertim facta est aetate antiquâ et mediâ, ut novi agri parerentur. Sed formâ saepimentorum fraxinus coli perrexit ad pabulum pecorum et crema faciendam. Saeculo

undevicesimo ineunte usu ligni et cultu caprarum exaucto *desilvatio, i.e. destructio silvarum, facta est maxima. Ut abundationes et erosio solorum evitarentur, inde ex eo tempore fraxini denuo cultae sunt prope flumina. Cum agricolae emigravissent et praesertim in collibus arduis et regionibus umidis agri coli desiti essent fraxinus denuo percrebruit.



Distributio *Fraxini excelsioris*

Fraxinus est genus arborum, quae nascitur in totâ Europâ mediâ et ultra. Limes distributionis pertingit a Scotiâ ad *Trondheimfjord* Norvegiae et in Suetiâ circumcludit partem *Norrlandiae* australem. In Finniâ limes fraxini distribuendae intersita est *Satakuntae* et *Hämeenlinna* usque ad Lacum Ladogae. In Russiae partibus boreali-orientalibus fraxinus deest; item in regionibus stepposis, verisimile est litem distributionis orientalis definiri siccitate aestatum fervidarum et pertingit usque ad Wolgam, ad Chersonesum et ad Caucasum. In Europâ australi regio distributionis pertingit trans paeninsulam Balcanicam et Italiam, in Paeninsulâ Ibericâ usque ad lineam, quae per Galiciam mediam et Montes Cantabricos et Iberum flumen.

In Stiriâ, in Carinthiâ inque Austriâ inferiore fraxinus nascitur usque in altitudines milium metrorum, in Tiroli usque ad altitudinem mille septingentorum metrorum (1700 m). In montibus mesogermanicis fraxinus invenitur usque ad octingenta metra (1800 m) et in Apibus Bavaricis usque ad quattuordecim milia metrorum (1400 m). In Montibus Algoicis fraxinus in Bavariâ in pede Montis *Höfat* australi adhuc invenitur in altitudine mille trecentorum metrorum (1300 m). In Caucaso fraxinus assequitur altitudines marinas mille octingentorum metrorum (1800 m).

Fraxinus eget solis mineralibus, profundis, recentibus, immo umidis, quae insunt locis non nimis calidis, potius âeris umidi participibus, lucidis et a gelu serotino liberis, ut assequantur altitudinem crescendi maximam. Tamen etiam crescit in solis rendzinicis* siccis, calcosis, eugeogenis. Cum fraxini invenirentur in his locis valdê variis, nonnulli botanici concluderunt speciem esse dividendam in duas varietates, fraxinum calcariam et aquariam. At confirmari non potuit exstare duas varietates. Nam fraxini quae dicuntur “calcariae”, etiam bene crescut in solis umidis et vice versâ. Quia fraxinus multum aquae transportat, maximi momenti est hanc arborem accipere aquam satis multam. Tamen fraxinus tam vivax est, ut superstes fiat aquae portionibus perparvis et vivat ipsis in solis rendzinicis humilibus. Maximê autem valent praecipitationes, quae fiunt mensibus Maii et Iunii. Fraxinus praefert sola bene ventilata evitatque sola, quorum valor potestatis hydrogenii (valor pH) maior sit quam 4,2 (quattuor – virgula-duo). Porro fraxinus vitâ procedente variis eget lucis intensitatibus. Fraxinus juvenilis est umbrae valdê patiens, sed aetate quo provector est, eo maiore copiâ lucis eget, denique non crescit nisi culmen habet prorsus liberum. (*TERTIA PARS SEQUETUR*)

**MELIOLOGIAM
SIVE HISTORIAM FRAXINI
ID EST SYMBOLAM WIKIPEDIANAM
DE HAC ARBORE SCRIPTAM
IN LATINUM CONVERTIT
LEO LATINUS**

ECHUS VOCES EPISTULAE

Van: SPQR <SPQR@leolatinus.com>

Verzonden: zondag 31 januari 2021 15:26

Aan: Prof. Dr. Dirk Sacré

Onderwerp: Acroasis tua hesternam - Epistula Leonina 225

Nicolaus Leo Latinus

**Theoderico Praesidi Academiae Latinitati Fovendae
maxime honorabili sal.pl.dic.**

s.v.b.e.e.v.

Libentissimê audivi hesternam acroasin a te clarê atque dilucidê factam. Multa nova a te docta didici, multa mihi placuerunt. In praesenti tria tantum ex te quaerere velim:

1) Titulum acroaseos tuae parum intellexi. Quid sentis esse "statistico-politicum"? Primum adiectivum me monet artis mathematicae, quâ nimium gaudent sociologi hodierni (angl. *statistics*). Sed non puto in ephemeridibus a te tractatis hanc rem tractari. Nonne magis quadrat adiectivum "statalis, -e"? Ergo: "Ephemerides statali-politicae" sive "politico-statales"? An omnino aliam rem hoc verbo denominavisti?

2) Opuscula a te tractata mihi videntur esse aurifodinae verborum novatorum (exempla attulisti, q.s. "*loteria*" et "*cavena*"). Nam redactores ephemeridum, qui cum scribere soleant de rebus novissimis, tum saepe vexantur penuriâ temporis, fortasse potius audent nova et insolita verba adhibere quam auctores librorum, qui praeferre solent verbis novatis circuitiones verborum antiquas. Estne ita?

3). Perplacuerunt mihi verba illius Haitiani flagrantissima, qui defendit patriam suam verbis Latinis (DESSALINES). Estne îdem reverâ originaliter usus verbis Latinis? An sermo eius est a BELNAY Hungaro sive alio interprete Latinê redditus?

In appendice invenies Epistulam Leoninam novissimam. En vide consuetudinem ephemerides Latinas scribendi minimê esse abolitam: adhuc tales in lucem eduntur! Ceterum nimis sero accepi *Stanislaum Tekieli Varsoviensem* editorem Ephemeridis

Latinae interretialis mense Novembri obiisse (cfr EL 225, p.20. Volui scribere nonnulla de eius sodalis vitâ meritisque, sed pauca tantum scio parum certa. Scisne tu plura? Scribas mihi, quaeso. Nam nos Latinae linguae amatores, qui simus litteris traditis deditissimi, oportet ritê celebremus memoriam sodalium nostri optimê meritorum. Mox tibi mittam proximum capitulum Orbis Picti Hexaglotti, quod spectat ad DOMUM.

Haec hactenus. Cura ut pancraticê valeas. Medullitus te salutat
Nicolaus Leo Latinus

Am 02.02.2021 um 09:38 schrieb Dirk Sacré:
Theodericus Nicolao s.d.p.

Gratum fecisti quod adesse es dignatus! Respondere autem mihi liceat ad ea quae me interrogasti. Ac primum quidem de titulo, sic habeto, eum a me ipso non esse electum, verum ipsis ephemeridibus fuisse: siquidem inscribebantur "Ephemerides statistico-politicae". Hungari illa aetate eiusmodi nominibus adiectivis compositis saepius utebantur; res autem statistica tam refertur ad rem statalem, ut contendisti, quam ad rem quodammodo mathematicam: iis enim annis incrementa capiebat ars statistica, quae omnia fere numerabat, omnia numeris expressit. Hinc Belnay de incolarum numeris qui tum erant variis in urbibus, de vervecum, fororum, carpentorum, domuum ... copiis libenter referebat. Deinde rogas de verbis novis. Verum tu quidem dixisti, cum coniecisti multa fuisse novata, ac novis fuisse opus ad novas res designandas. At quoniam usus sermonis Latini apud Hungaros latissime patebat neque ulla fere erat vitae provincia, quam illi Latine non tractarent, permulta iam vocabula Belnayo suppeditabant usu confirmata, pauciora ipsi erant creanda; ac fateor longe maiorum verborum non antiquorum partem, quae in eis Ephemeridibus legitur, inveniri posse in 'Glossario Latinitatis Hungaricae mediae et infimae aetatis', quod Ant. Bartal ineunte saec. XX divulgavit quodque etiam in rete mundano adest. Ambages et circuitiones vitabat Belnay, id quod habuit cum suis civibus permultis commune; ceterum verborum circuitiones ab eis plerumque proponuntur qui

omnia ad amussim Tullianam dirigenda esse censeant: in his minime erat Belnay, qui sermonem eruditum, ut erat in usu inde a saec. XVII, secutus est, atque etiam vestigiis ingressus est Hungarorum qui antea sermone Latino scripserant. Quod 'cavenam' admisit Belnay cum nuntios velociore manu exararet, id non sum miratus, sed quod idem vocabulum etiam doctissimi illi scriptores admiserunt qui rationem studiorum composuerunt, cunctis tironibus, discipulis, alumnis amplectendam, id admirationem mihi quodammodo movit; at intellexi, morem fuisse plerisque Hungaris ut ad Latinitatem suam vivam ac liberiores sine scrupulo confugerent. Tum de illo homine, cui Dessalines nomen, rogas: qui non Latine sed Gallice verba ea crudelissima protulit; eam orationem exscripsere diurnarii complures, alii aliis linguis verterunt; itaque Belnay vel verba Gallica, vel verba primigenia ab aliis Theodisce vel Anglice vel Hungarice iam conversa rursus ipse Latinitate donavit. Denique recte me mones de 'nuntiis novorum' qui quodammodo superstites fuerunt post Belnayum. Fateor mihi dicenti tempus defuisse ut dissererem de 'actis diurnis' quae commentariis Latinitatis vivae fovendis interserta inde a saeculo XIX exeunte passim reperiuntur. Itaque nihil dixi de eiusmodi inceptis, qualia fuerunt 'Chronicalia' P. Caelestis et Sigridis Albert, 'Voci Latinae' inserta; nihil de P. Eggero qui res similes in 'Latinitate' aliquamdiu divulgavit, nihil de Ephemeride Varsoviensi, nihil de 'Nuntiis Latinis' quos per undas radiophonicas emisere T. Pekkanen et R. Pitkäranta, atque etiam in aliquot volumina typis excusa rettulerunt. Ceterum pudet me fateri, virum illum, nomine Tekieli, mihi parum esse notum; Ephemeridem eius equidem interdum aspexi, sed de editore nihil mihi proh dolor innotuit. Domum istam cum sua supellectile verborum accepi, ac mirari industriam tuam non desino. Perge feliciter! Et optime vale!

Nicolaus Theoderico s.

Summas gratias tibi ago pro responsione diligentissimâ! Quam velim divulgare in Epistulâ Leoninâ. De singulis universis certê aliâ occasione datâ fuius disputabimus. Haec raptim, mox certê plura. Medullitus te salutatur Nicolaus.

ECCE LIBRI LEONIS LATINI

Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdê augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipuê disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.

Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hôt tempore apud Leonem Latinum prostant venales:

- | | |
|---|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat)..... | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum)..... | 42,00 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser)..... | 45,00 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |
| 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne)..... | 22,00 € |

PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non êditur in domunculâ Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».

GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.

Habeas nos excusatos, quod situm interretialem (i.e. anglicê »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.

Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimê eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtuaalem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeras, quibus operam dedit illis creandis.

Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EΙΣ AEI.

INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR	Num. mand a-telae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANS-LATOR	ANNUS	FORMA	AMPLI-TUDO	PRE-TIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104 A	978-3-938905-15-9	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA – Libri audibiles	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304 A	978-3-938905-16-6	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE – Libri audibiles	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	MEMENTO MORI	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	0040 A	978-3-938905-17-3	MEMENTO MORI – Libri audibiles	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	DE CRAMBAMBULO	Marie von Ebner-Eschenbach	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	DE DINOSAURIS	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	SUDATORIUM VENERIS	Diogenes Anaedoeus	-----	2004	CD-ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	PERICULUM FRANCISCI	Diogenes Anaedoeus	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	NUPTIAE ABDERITANAE	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-938905-09-8	TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN	Henricus van den Lande de Raelt	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,50

14	01104	978-3-938905-10-4	DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	FABELLAE GRIMMIANAE 1	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	ROMULUS MAGNUS	Friedrich Dürrenmatt	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	DE THILO CUSTODE FERRIVIAE	Gerhart Hauptmann	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	0050	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	0060	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	0070	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	AUTOBIOGRAPHIAE LATINAE	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIIUM	Karl Friedrich Kielmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	00306 A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	0040	978-3-938905-25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90
27	00506 A	978-3-938905-26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – Libri audibiles	L.A. Seneca	-----	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90

28	00107 A	978-3- 938905-27- 2	ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS	Apuleius	----- --	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29	00207 A	978-3- 938905-28- 9	OBSIDIO SAGUNTI A T.LIVIO DESCRIPTA	Livius	-----	2007	Audio	53 min.	€ 23,90
30	00307	978-3- 938905-29- 6	FABELLAE GRIMMIANAE II	Jacob Grimm/ Wihelm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD- ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,
USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**

**HANC EPISTULAM LEONINAM
DUCENTESIMAM VICESIMAM SEXTAM
SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT**



FRAXINUS

Die Dominicâ, 07. m.Febr. a.2021

Dr. Nicolaus Groß
Sodalis Academiae Latinitati Fovendae